



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

Ivlivs


urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

IVLIVS

S. M. MAGDALENA 22.

S. IGNATIUS. C. 31.





T. A.
S.
Q
cū
pet
riti
dep
ton
ext
ca
cū
ris
jan
sp
ma
tur
ad
ves
op
bo
pr
ap
ip
ha
du
fui
co
ru
fui
die

S. RUMOLDUS EP. MART.

I. Iulii.

Quid mirum, ô parentes, si quos vobis **D**EUS tantisper concedit filios, cum lubet, aufert iterum? Suum ille repetit, & quas vos in liberis delicias queritis, amore, si fas est dicere, etiam ille deperit. Ita **RUMOLDUM** Davidis Scottorum Regis filium, non nisi precibus extortum, in tempore sibi iterum vindicavit. Angelo misso, qui juvenem edocuit, quantum æternatura regna perituris antistarent. Quare **RUMOLDUS** celo jam tum oculos circumferens facile sponsam, sceptrum patrium & ad eò humana omnia despexit. Sed & Pontificatum Dublinensem, cum patre demortuo ad regni gubernacula abstrahere illum cives vellent, fugâ deseruit, iterum ad hoc optimo consiliario Angelo usus. Hoc tam bono Duce Romam, inde in Brabantiam profectus, Adoni Comiti precibus suis apud *Deum* filium impetravit, & hunc ipsum, ut bis se **RUMOLDO** deberet, aquis haustum invitam restituit. Inter hæc dum templum alienâ liberalitate, sed suis curis, ædificat, geminæ operæ consilium viri è medio tollendi ceperunt, opum, quas ingentes penes ipsum credebant, hereditatem parricidio adituri. At tanti sceleris merces fuit
 num-

416 VITÆ SANCTORUM. I. Iulii.
nummus tergeminus repertus. Corpus in
fluvium abjectum caeleste prodidit lu-
men, quod omnem ab eo locu noctem fu-
gabat. Extraxere igitur piscatores *Rumol-*
dum mortuum, ingentem tamen vel ta-
lem Adoni comiti prædam. *Ex Lippeloo.*

*Expecta quotidie finem vitæ, & ad iter
illud te para; quâ enim horâ mihinè putas,
mandatum asseretur: vix autem illis, quos
tunc imprudentes opprimet & imparatos.
Cordis compunctio est curandis hominum
animis medicina. S. Ephrem de Vitâ
spirit.*

S. EBERHARDUS EPISC. I. Iulii.

EBERHARDUS gente Bojus, genere
Comes; cum e Collegio Bamber-
gensium Canonorum ad Religiosorum
se juvenis transtulisset, à suis inde no-
lens extractus & in Gallias est amanda-
tus; ut (quod hodie etiam amat fieri)
cum veste mores sanctos & sanctiora
proposita poneret. Sed non præpotuere
Numini amicorum inimica consilia. Re-
dux enim in idem monasterium se abdi-
dit; Biburgensi dein Asceterio, mox
etiam Salisburgensi Episcopatu iustus
præfesse, in miseros, si quisquam alius,
pius fuit. Itaque Promum Condom et si
feniculum insequi hospitem Biburgo Ra-
tisponam usque compulit, & quem tran-
seunti negaverat, vini haustum defer-

re.

I. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 417
re: ipse, cum Italiam peteret, agræ
mulierculæ equum cecidit, & pedes Apen-
nium conscendit. Elephantiacorum cum
& corpora & animos curaret, reddente
ex his uno cum vomitu Divinum Epu-
lum; ore suo omnia excepit, nec mul-
tò post cognovit, sub agrò illo *Chri-*
stum latitasse virtutis suæ exploratorem.
Dum vixit, nulli unquam quidquam
Mariæ nomine petenti denegavit, ideo-
que mortuum nonnemo sinu *Magnæ Ma-*
tris velut infantem fovendi vidit, & ne-
ctare, quod ipsa illi *Virgo* libavit, ine-
briari. Quid hic agitis Sodales Mariani?
Matrem esse vestram *Mariam* vultis? pau-
perum patres este. Et profectò aut filii
Mariæ non estis, aut Fratri *EBERHARDO*
finum invidetis. Ex tom. 2. *Henric. Ca-*
nif. & tom. 1. *Bar.* 3.

Utinam sapiamus ad præsentis vitæ mo-
derationem! utinam intelligamus ad præ-
teritæ correptionem! utinam devotâ in
Deum fide provideamus, ut felicem ha-
beamus, ipso miserante, consummationem!
S. Bernard. in serm. 2. de SS. Pet. & Paul.

S. SIMEON SALUS CONF. I. Iulii.

Quisquis vestium splendorem qua-
ris, cum *SIMEONE*, si oculos ha-
bes, videbis; si animum etiam indues.
Nempe cœnobium ingresso cum adoles-
centulus nuper religiosâ veste indutus.

Dd. 30

418 VITÆ SANCTORUM. I. Iulii.
occurisset, vidit caelestem inter comita-
tum multo lumine insignem & Angelico
habitu regiaque coronâ exornatum ince-
dere. Quare eandem dignitarem cum
Ioanne fratre tam diu ambivit, dum uter-
que est potitus. Sed & Philosophum vi-
desis in uno SIMEONE geminum; Hera-
clitum inquam & Democritum, sed
Christianum. Nemo alius tam doctè
aut flendo risit, aut ridendo deslevit
mundi insaniam. Nempe Emesam ur-
bem ingressus mortuumque canem fune
trahens omnes pueros post se, mox om-
nem civitatem traxit, fuitque Sapien-
tia Magistro risus, plausus; convitia &
verbera, merces, & ingens quidem ni-
hil aliud querenti. Interea risum comi-
rata sunt compluria miracula. daemones
mali alapâ pulsi, cantu proscripti; carbo-
nes sive in pallio, sive in manu, innoxii
splendorem virtutis prodidere. oculi si-
napi, aceto, allioque curati, hæretici
& in fames mulierculæ sapere à Stulto
docti, qui scilicet jam oracula etiam da-
bat. Et fuit cum flagello urbis columnas
aliquamultas castigavit, illud addens:
State: saltandum vobis est. & ecce salta-
runt illæ terrâ movente, sed steterunt
cadentibus aliis. Pueros alio tempore
quamplurimos perbenignè salutans in
ludo supplicavit pro his Magistro, ne cæ-
derentur, quod longum illis iter instaret.
Et hoc eis nimirum mors indixit paulò
post

2. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 419
post per urbem grassata. SIMEONIS quo-
que funus cum pauculi homines cura-
rent, adfuere Angeli, & , lessum an epini-
cium? cantarunt totius orbis Mimo. Sur.

*Per Christum sensibus invocatus abjecta
seculi huius figurâ, formam tuam in formam
tui reduc Salvatoris, ut novitas sensuum
tuorum in tuis actibus elucescat, & celestis
homo celesti habitu, jam gradiatur in ter-
râ. S. Pet. Chrysol. serm. 120.*

VISITATIO B. MARIÆ V. 2. Iulii.

Redibat in astra Numinis ad MARIAM
legatus, quem venturum terris nun-
tiaverat, cælo venisse nuntiaturus. At
Virgo Deo jam plena visendi ad cogna-
tam Elisabetham studio in viam se de-
dit. Hanc monstravit, qui sub utero i-
vit comes, ingens MATRI, sed dui-
cis sarcina. Hic viæ laborem tempera-
bat, hic properantibus pedibus alas ad-
debat, ut expeditior nunquam iverit MA-
RIA, quàm sic onerata. Jam sub aspectum
mutuum venerant geminæ cognatæ, jam
in amoris vincula brachia coiverant,
cum gaudio gestiens in Elisabetha infans
Verbum in utero latens ex utero prodidit,
jam tum vox clamantis. Tunc novo pro-
digio virginitas sterelitati, & sterilitas
virginitati fœcunditatem est gratu-
lata: tunc, quas texere Angelus cœ-
perat MARIAM laudes, pertexere Elisa-
berthâ,

D d 2.

420 VITÆ SANGTORUM. 2. Iulii.
betha, Domini Matrem salutare, quæ
Ancilla venerat, super omnes illam mu-
lieres efferre, ipsum cum primis laudibus
in cælum tam sancti uteri hospitem tol-
lere. Itaque oraculis domus personare,
Virgo lætitiâ etiam ipsa exultans, quæ
Deum magnificaret, canere carmen, cui
omnem palmam vates concedent. Certè
ut Superi delicati sint (quippe dulci sem-
per Musicæ affueti) tunc tamen terræ
cantus probarunt: nec hodie puto faci-
lius aures Marianis præbent, quam MA-
RIAM MARIM verbis laudantibus,
tunc præsertim, si vox Virgo accedat,
quam dicere ausim tam libenter audiunt
Angeli, quàm nos Angelorum audimus.
Ex Hist. Evang.

*Sit in singulis Maria animo, ut magni-
ficet Dominum; sit in singulis spiritus Ma-
riae, ut exultet in Deo: nam etsi secundum
carnem una mater est Christi, secundum fi-
dem tamen omnium fructus est Christus.*
S. Amb. 1. 2. Com. in Luc.

S. OTHO EP. POMERAN. APOST.
2. Iulii.

OTHONEM Pont. Bambergæ Suevia
donavit. Præter Xenodochia, stru-
ctaque vel reparata templa quampluri-
ma, monasteria exædificavit XXI. Ho-
minum Deo sacratorum aspectu præci-
pue delectatus, gaudebat his sive sacri-
fica-

2. Julii. VITÆ SANCTORUM. 421
ficaturis, sive ad mensam accubituris
ministrare & fercula osculo condire. In
Pomeraniam cum movisset superstitio-
nem expugnaturus, multæ illi pugna-
fuere, sed victor, etiam cum vapularet,
abivit. Tandem manus dedit Regio, post-
quam Pont. verbis blandis & munuscu-
lis captos duos adolescentulos, illi alios,
hi alii iterum alios & parentes denique
ipso ad sacra nostra induxerunt. Ita post
OTHONEM Apostolos Pomerania pue-
ros habuit, quos, ubi sacro fonte lustra-
ti sunt, à profanorum societate remotis-
simos voluit, ut neque jam lusus illis
communis esset, quorum mores dissimi-
les esse oportebat. Bambergam redux vi-
tam reliquam ege norum subsidio porro
impendit, magno operæ pretio. Nam
vidit nonnemo in altissimo monte (O-
lympum dices) ab omni ætatis & se-
xûs hominibus palatium OTHONI È
solidis gemmis adornari. Quid igitur
superbia architectos toto orbe conquiris,
ut cælum tibi in terris struas, quando ob-
vios hos quotidie habes? Si nescis, cæci
sunt, qui aream rectè designabunt: clau-
di sunt, qui tam pulchra saxa convehent;
manci debilesque rectè absolvent, & in
cælum tam nobile ædificium educent.

Ex DD. Bamberg. Gretseri.

Dulcis Domini JESU memoria, ò juve-
nis! fixa semper inhæreat in mente tuâ:
ut exercitationis tuæ cursus palma coro-
nam

Dd 3

422 VITÆ SANCTORUM. 3. Iulii.
*nam accipiat. Tempus enim instat, in quo
strenui præmia, ignavi ignominiam acci-
pant. S. Ephrem de Exercitatione.*

S. LANDFRANCUS EP.
3. Iulii.

Nobiles cunas LANDFRANCUS Pa-
piæ Italiæ urbe habuit nobiliores
nutrices, Musas. Harum in sinu non
profanam modò, sed & sanctiorem sa-
pientiam imbibit, ut *Lumen Magisterque*
Theologorum jam tum audiret. Sed po-
terat hic Magister amplius in fortunæ lu-
do quid discere. Ecce enim dum Gallias
petit, in uno omnes captivæ bonæ ar-
tes abducuntur. Tulit ægrè ab initio ser-
vitutem tam liberaliter educatus; ob-
strepentibus puto in vinculis, liberiore-
bus, è novem, Sororibus. At rectius
severiores monuere. *Et, nimirum, age-
bant, hoc tu fortunæ didactrum etiam Ma-
gister debebas; discipulus sanè hujus, si
in captivo liberum errare animum nescias.*
Si poëta, absolves fabulam: si orator,
*persuadebis animo deditioem. Iam Phi-
losophus Orbem, etiam in hoc angusto
carcere perambulabis; denique si Lumen
es, si Magister, pulchrius in tenebris lu-
cebis, & Deum è vinculis laudabis.* Ad
hæc LANDFRANCUS tam capit amare
servitutem, ut amissus ex hac continuo
cœnobio se mancipaverit, utque in scholâ
tam

4. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 423
tam sanctâ rectius proficeret, illite-
ratus videri voluerit. Sed Itali instito-
res, quibus iter illac erat, aperue-
re, quam doctæ merces sub rudi cucullo
laterent. Itaque primò scholis, mox a-
ceteriis, tum etiam Cantuariensi Eccle-
siæ præfectus, anno M. LIX. nobilem
hæreticum Berengarium, spectante &
applaudente Româ, devicit. Triumphum
tamen illi mors in annum LXXXIX. di-
stulit. Ex Arnoldo Wion.

*Huius vitæ dulcedinem relinquentes, jam
nunc de futuris sæculis quotidie cogitando
etiam in hoc corpore prægustare conemur;
& exclusâ de sensibus nostris secularium
desideriorum amaritudine, quendam beati-
tudinis saporem cordibus nostris attraha-
mus. B. Cæsar hom. 26.*

S. UDALRICUS EPISC. 4. Iulii.

Multum ætas tenera nutricibus de-
bet, quæ lac dederunt; plus illis,
quæ pietatem instillarunt. Ipse è cælo
UDALRICUS adstipulabitur. Hunc
puerum Wiborada sanctissima virgo levi-
culè fortè cinctum castiore de lino cin-
gulo donavit, iussitque primò liberiori-
bus sermonibus nec linguam daret nec
aurem; tum, quos mundus socios dicti-
tat, hostes duceret; mollem Cupidinem
cilicio absterreret, ejus flammis sub
pectore grassantibus, verbis Ecclesiæ

D d 4 in

424 VITÆ SANCTORUM. 4. Iulii
in adiutorium Deum exciret, simul digito
in focum immisso incendiis incendia op-
poneret; feminas denique, vel se feminã
auctore, fugeret. His monitis velut lacte
virtus UDALRICI crevit ridentis irriden-
tium coavorum turbam, qui cum ludi-
brio, sed sine mendacio, Sanctum jam
tum clamabant. Sed graviora testimonia
jam Pontifici cælum dedit, è quo manus
delapsa sacrificare cum UDALRICI manu
est visa. Fluvium nunc in perforatã navì,
nunc sine illã siccus trajecit. Contra Bar-
baros Augustam Vindelicorum obsiden-
tes Ottoni Imp. præsentia suã nobilem
victoriam peperit: *Virginis Augustanæ*
bona adversus rapaces manus tutatus
commilites Cælites habuit, qui variis
pœnis in prædones pugnarunt. Multis a-
liis miraculis illustris, fassus tamen est
pœnas se Numini debere, quòd successo-
rem sibi nepotem (cetera dignum) legif-
set. Proinde non nepotes, sed pauperes
fecit hæredes, in quos moriens etiam su-
pellectilem sparsit. Sed nimirum sic vasa
colligunt Pontifices in cælum migraturi.
Ex vitã.

*Quid tibi necesse est, in eã versari domo,
in quã necesse habes quotidie aut perire aut
vincere? Quis juxta viperam securos som-
nos traxit? quæ etsi non percutiat, cer-
tè sollicitat. Securius est, perire non pos-
se, quàm juxta periculum non perisse.*
S. Hier. Ep. 47.

S. WIL.

BOjariæ hic WILHELMUS debetur, ex qua oriundus Monachus Ratisbonæ induit. Hic omnibus omnino artibus excultus, Mathesin tamen præ cæteris coluit, quod multa atque præclara monumenta ipsius loquuntur literis consignata. Eloquentiæ tantæ erat, ut sanctiorem Orpheum diceres, qui saxa etiam traheret. Præsul Hirsaugiensis in miseros tam pius fuit, ut his vestiendis non semel panem seipsum nudarit. Sed nimirum fœnus à nullis majus, quàm ab his ipsis, qui reddere nihil possunt, avarus speret. Hoc certè WILHELMUS tunc tulit, cum in suorum usus pondo argenti V. ab ignotâ terris, sed non etiam cælo manu abstulit. Quid jam horrea memorem, quæ, quòd WILHELMUS liberalitas exhausisset, subitam miramque messem; quid cellam, quæ effuso per negligentiam vino, novam in dolio vindemiam viderunt; quid piscatum felicissimum? cum missum sæpius in aquas rete præter laborem inanem diu nihil, post imperio Divi Christi que nomine immissum ingentem piscium prædam retulit. Taceo hæc aliæque à morte miracula; & revocatam per WILHELMUM ad primas leges D. Benedicti per omnem ferè Galliam & Germaniam familiam, &

Dd 5 ad

426 VITÆ SANCTORUM. 6. Iulii.
ad Religiosæ vitæ amorem vilissimaque
in hac munia excitos nobilissimos juve-
nes laudo, piscatum priori longè præfe-
rendum. Cæterum astra sua WIL-
HELMUS propioribus oculis aspexit an-
no Christiano M. XCI. Ex Trithemio.

*Elemosynam, quantum possumus, &
quamdiu vivimus, & ipsi habere, & aliis
impendere festinemus, ut securi possimus
in die Iudicii dicere: Da Domine, quia
dedimus: nos fecimus quod iussisti, & im-
ple quod promisisti. B. Cæsar. hom. 15.*

S. GOAR. CONF. 6. Iulii.

Iure meritissimo inter Apostolos suos
GOAREM numerant Treverenses, ut
quibus ille superstitione implicitis inter-
primos DEUM nuntiavit. Sed dum il-
lum æquis auribus vel maxime audivit
populus, iniquus invidia oculis specta-
vit. Quare more suo subornavit, qui
apud Archiepiscopum innocentiam ejus
insimularent. Gemini erant è fraudibus
& mendaciis compositi. Eos GOAR ad
se venientes, ut vindictam Christianam
sumeret, amice accepit & ad mensam
invitavit. Sed eadem invidia, quæ non
nisi infelicitate GOARIS pasci, nec
bibere nisi hujus sanguinem avebat, re-
spuit aliis famem aut sitim pelleret. Quare
ex itinere defecissent scilicet, nisi sem-
per ad vindictam vigilans GOAR feras
Christi

6. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 427
Christi imperio advocasset, & earum
lacte recreatos hostes animam sibi fecis-
set debere. Ad tribunal Archiepiscopi u-
bi ventum, luce clarius meridianâ appa-
ruit innoctem esse GOAREM, quan-
do pallium suum in ipsius solis radiis sus-
pendit. Adhæc ex puero projectio cum
jussu Archiepiscopi nomen parentis qua-
siisset, ecce facundissimus infans linguâ
digitoque ipsum Archiepiscopum pro-
didit. Erat hoc scilicet absolvere reum &
Iudicem damnare. Quare populus ad
infulam GOAREM velle vocare, & cum
respueret, vim amicam inferre. Sed ab
hac iterum illum ægritudo absolvit,
quam precibus à cælo extorsit. Prestare
credidit morbo quàm ambitione labora-
re. Ex Surio.

*Procul contentiones, procul lites, procul
maledicta mittantur, & quia laqueus est
mortis lingua susurronis & bilinguis,
parcat unusquisque animæ suæ, ne in sup-
plicium suum vincula sibi mortis innectat.
Ama pacem & tranquilla sunt omnia.
S. Pet. Chrysol. serm. 53.*

3. GODELEVA MART. 6. Iulii.

Quoties fallit Amor, positâque lar-
vâ tyrannum se ostentat? Ecce hic
etiam dies exemplum oculis exhibet.
Adverte animum quisquis blanditiis e-
jus credis neque fallacias caves. De
peri-

428 VITÆ SANCTORUM. 6. Julii.
peribat GODELEVAM nobilem virginem nobilis item juvenis Bertulphus. Verum cum primùm ex voluntate parentum domum Sponsam deduxit, amor illi omnis in odium degeneravit, & primã jam nocte aspectum non sustinuit ejus ferre, cujus absentiam mortem nuper crediderat. Quare val enecare, vel certè à sese abigere aggressus, non nisi unicum panem quot diebus dedit. At illa patientiã ad omnes injurias obarmata, cum multa animi grati significatione accepit, & hunc ipsum cum pauperibus sibi communem esse voluit tam diu, dum fugam ad parentes nudis pedibus coacta fuit arripere. Caterùm cum sacri homines sese interposuisset, iterum domum GODELEVAM duxit Bertulphus, sed efferendam. Si quidem binis servulis ad omne scelus exercitatis, ut laqueo, dum ille domo abit, suffocarent innocentem, imperavit. Virtuti calum pluribus portentis parentavit. Nam panes, qui sub funebrem diem in miseros erant spargendi, in furno numerum suum longè superaverunt. Aqua, in quam abjectum funus erat à parricidis, medicinam morbidis propinavit. Ipsa humus in loco supplicii egesta in lucidissimas gemmas abiit, ne ampliùs quisquam dubitaret pretiosam in conspectu Domini mortem sanctorum esse. *Ex Suario.*

Libidinis vitium expelles, si orationi assidue

7. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 429
duæ incumbes & sobrietati ; si mentem à
malis cogitationibus cohibebis ; si nullum
proferes vanum verbum si ad templum ac-
cedes frequenter ; si mortem & diem Iu-
dicii identidem recogitabis. S. Ephrem de
vit. Spirit.

S. WILLIBALDUS EP. 7. Iulii.

A Nimæ caelo natæ eheu ! exilium ama-
mus , patriæ obliviscimur. At non
ita W I L L I B A L D U S è regiâ Anglorum
stirpe pulcherrimus flosculus. Vix enim
mundum seque adeò circumspexit , cùm
ilicò peregrinum agnovit , ideoque exire
hinc quàm ocyûs , nec solus voluit , sed
in laudatissimi facinoris societatem Cu-
nebaldum Fr. & Walpurgam sororem ,
quin Richardum etiam regem parentem
excivit. Si nescis , Pater , peregrini hîc
etiam reges sumus. Quin igitur is quò
SS. virorum per omnem orbem vestigia ,
atque adeò Christi te ducunt. Exi , ab ! exi
regno ! nisi exis , scilicet efferere. Ergo
purpura penulæ , sceptrum baculo , co-
rona galero cedit ; atque ita digna Re-
gibus Anglis expeditio Romam , inde
Hierosolymam adornatur. Ultimam
ut hanc etiam suæ peregrinationem cru-
ces comitarentur , in illo itinere patrem ,
in hoc oculos amittit. Recepit tamen
hos ad urbem sanctam appulsus , vidit-
que deinceps tam bene , ut exæcatis
tuna

430 VITÆ SANCTORUM. 8. Julii.
tum à Gentilitiâ superstitione, Germanis dux à Gregorio Pont. datus fuerit, quem quidem annis XXXVI. egregiè præstitit, & nobilem hodie Episcopatum Eystetensem condidit. Sed inter omnia ejus (quæ multa & immortalia) facinora, illud princeps est, parentem è regno secum ad Deum abduxisse. Eant nunc deliri senes, quarantur ultimo ætatis adminiculo orbari sese, ubi è mundo filius abit. Abeundo WILLIBALDUS, an non parenti scipio fuit? Ex Philippo Eystet.

Semper tibi despliceat quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es; nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti Semper profice; noli in viâ remanere; noli retro redire; noli deviare. S. August. serm. 5. de verb. Apost.

S. PROCOPIUS M. 8. Julii.

SAulum aut Saulo simillimum Neaniam vides: quippe à Diocletiano Alexandriam missus, quò Christianos illic excinderet, & ipse Christum obvium habuit, & quidem è cruce sibi loquentum. Multum igitur se aberrasse animadvertens, aliam viam deinceps ingressus est, & fabrefieri sibi ex auro crucem fecit illi geminam, quam nuper viderat. Hæc signa vix intulit Agarenis, cum nobilem victoriam abstulit. Sed, quod mirere, victori bellum alterum, bel-

8. *Inlii.* VITÆ SANCTORUM. 43
bellum crudele mater movit, quæ pietatem filii, quâ fractos pedibus aureos argenteosque *Deos* pauperum manibus in spoliū iussit cedere, sub impietatis nomine ream egit. Sed vincto omnibusque tormentis exercito patronus cum Cælitibus Christus adfuit, & sanguine jam suo pulchrum sacrâ undâ amplius lavit, & abhinc *PROCOPIUM* dixit. Atque hic ille *PROCOPIUS* est, qui unus contra omnes carnificum manipulos stetit, quique prius quàm gladio cervicem ipse, sibi Tyrannum non unum subiecit. Qua in re iterum Paulo similem illum recte dicemus; in illo etiam superiorem, quòd Christo moriturus filius matrem peperit. *Ex Metaphr.*

Si inveni melius, quàm videre faciem DEI, illuc te preparis: vè tali amor tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius, quàm est ille, à quo est omne pulchrum, quod te teneat, ne illum cogitare merearis. S. August. in Psal. 43.

S. KILIANUS CUM SOC.
MM. 8. *Iunii.*

Uti Hiberniæ Italia Columbanum, Gallum Suevia, ita Francia Orientalis KILIANUM debet. A Musus mansuetioribus ad omnem humanitatem efformatus Monachum induit, & Sacerdotio initiatus cœnobii præfecturam accepit.
Sed

432 VITÆ SANCTORUM. 8. Iulii.
Sed ingenuus qui in pectore bulliebat
sanguis majores ausus est honores spe-
rare, & generosâ mortē Martyrum nobi-
litate velle mercari. Igitur in Britan-
niam, mox inde in Galliam, per hanc in
Germaniam se penetravit, & Herbipoli-
m Franciæ Orientalis metropolim per-
venit, Colomanno & Tornano viæ pro-
positi que pulchri comitibus. Vix cru-
cis signa explicata, cū debellata super-
stitio, & ipse Dux Francorum Gosber-
tus sub jugum Christi est missus. Sed re-
stabat cum muliere bellum, semper viris
etiam periculosum. Geila hæc fuit fra-
tris olim Gosberti conjunx, tunc pellex
hujus, & quia hanc consilio KILIANI
Dux adibus parabat ejicere, ipsa prius
KILIANUM sociosque (absente Duce)
vitâ ejecit, & corporibus Divorum sta-
bulum superædificavit. Monitus KILIA-
nus ab Angelo de morte, obviam hosti-
bus processit, iisdemque verbis, quibus
Christus Judam, salutavit. Martyrum
porro sanguinem linteo excepit matrona
Burgunda. Locum stabulantes equi nul-
lis sordibus contaminarunt. Sicarii malè
omnes perierunt, fuit que qui sceleris sui
furiis agitatus clamaret, nunquam non
sibi imminere gladium KILIANI san-
guine calentem. Ipsa Galla pœnas datura
carnificem dæmonem habuit. *Ex Surio.*

*Beatus, qui ab omni abhorret turpitudi-
ne peccatorum; seque hostiam viventem*

Oratio Do-

Et Domino acceptam offert. Beatus, qui
semper in seipso Dei memoriam colit; erit
enim totus velut Angelus cælestis in terrâ
cum reverentiâ Et amore sacrificans Do-
mino. S. Ephrem in Beatitudinibus.

S. LANDRADA V. 8. Iulii.

S CITE LANDRADA Virgo genus suum,
quod è Principum Gallorum stemma-
te ducebat, novit æstimare, dum despe-
ctis, qui multi illam deperibant, terræ
filiis omnibus, uni Agno intactam ser-
vavit sese. Doluit id multum parentibus,
ut qui generos, qui nepotes sperabant.
Sed maluit illa familiam emori, quàm
virginitatem; & satis se oblectabat nu-
merosâ, quam domi alebat, paupe-
rum sobole. His illa ultima servitia ex-
hibere, interim pretiosum pudorem sub
vilibus ancillarum pannis tegere, de-
nique, quò tutior hîc foret, in ultimas
solitudines asportare; si tamen solitudi-
nes rectè dicimus, quas ab adventu ip-
sius Cælites deinceps cantu suo frequen-
tarunt, lumine exhilararunt. Et fuit,
cum hi ipsi, festiva inter tripudia, Mne-
mosynon illi à sponso crucem artificio-
sam è cælo detulerunt. Huic illa mox a-
ram; aræ templum; templo se suaque di-
care ad ultimum vitæ diem usque. Ab hoc
spectabilis Lampertò Episcopo tumu-
lum eo in loco se velle significavit, in
Ee quem

434 VITÆ SANCTORUM. 9. Iulii.
quem delapsa primùm Crux foret : quod
ne fieret, cùm homines intercessissent,
bonam operam boni Angeli locarunt,
suisque manibus castissima membra eò
deportata composuerunt. Tam nobiles
Virtus Vespillones habet. *Ex Surio.*

*Memor esto arrepti propositi, & imagi-
nem tibi propone Crucifixi. Benè verecun-
dari potes, inspectâ vitâ Jesu Christi, quia
nec dum magis te illi conformare studuisti,
licet diu in viâ DEI fuisti. Tho. à Kemp.
l. I. c. ult.*

S. ANATOLIA V. M. 9. Iulii.

RECtè lilium dixeris virginitatis, sed
spinas easque plurimas inter. Vel A-
NATOLIA palàm id facit, pulcherrimi
candoris & ipsalilium, quod ubi carpere
procus impudens desperavit, ex amato-
re hostis factus; Fidem apud Judicem
accusavit, cujus castimoniam non po-
ruit. Itaque ex veteri, sed pessimo mo-
re in exilium virtus mittitur. Sed fallor.
patriam putasses, ita in honore etiam
ibi fuit. Etenim cum Diodori Viri Con-
fularis filius (Anianum dixerunt) à malo
genio correptus saepenumero discrucari
ab *Anatolia* se clamitasset, quin rup-
tis subinde vinculis ad illius pedes abje-
ctus, missionem tandem accepisset, ili-
ret ea fama totum Piceni agrum perva-
sit, ut jam commune omnium mor-
bido-

IO. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 435
bidorum aſylon virgo exul eſſet, jam-
que tam felix exitum invideret Decius,
ideoque huic vincula, equuleos & flam-
mas ſuperadderet, quin etiam Audacem
nobilem magum evocaret, qui imma-
nem in virginem ſerpentem armaret.
Sed pepercit hic virginitati, non item
magiſtro ſuo Audaci, utpote in cujus
collum ita invaſit, ut niſi manum auxilia-
rem virgo tuliſſet, pereundum illi ab hoc
collari fuiſſet; quam tamen ſic Audax
cervicem ſerpenti, Chriſtianus poſtea
gladio non ſubduxit; quo *Anatolia* de-
nique etiam trajectu pudorem ſanguine
tinxit, hoc eſt liliis roſas miſcuit. *Ex Sur.*

*Si nobis ſputa, quæ ſine peccato projiciun-
tur, horrorem faciunt in veſtibus noſtris; pu-
tas cogitationes libidinoſæ, quas deabolus
ingerit, qualem horrorem faciunt Deo in a-
nimabus noſtris? B. Cæſar. hom. 3.*

S. FELICITAS M. IO. Iulii.

FELICITATEM in manibus habes,
matronam in quâ unâ omnem Spar-
tam Roma extinguit. Stat ecce ad tribu-
nal plena animis, & qui matrem coro-
nat, globum filiorum in tyrannum agit.
Ne, ne oculos in tyrannum filii, aut quas
hic minatur pœnas, ſed cælum, ſed quæ cæ-
lum promittet gaulia, deſigite. Ite, oſtendi-
te etiam ſuos Romanis Machabæos eſſe, im-
plete nomen meum; facite ut ſim, quæ
Ee 2 di-

436 VITÆ SANCTORUM. 10. Iulii.
dicor, Felicitas. Septem estis, si pueri,
certè numero tyranno superiores. Sed &
mater adero, pugnabo in singulis, in om-
nibus triumphabo. Votum pugnae hoc est,
ut nostrum ex acie virus nemo discedat.
Talia mater filiis: at matri tyrannus co-
laphos ingerebat. Mox *Januarius* virgis
caesus ridet puerile tormentum. Negant
Felix & cum *Philippo Silanus* sive à fra-
tribus sive à Christo avelli posse. Jam
Alexander clientelam Imperatoriam of-
ferenti Christi se Libertum respondet.
Vitalis porrò edicere Iudicem jubet da-
monine malo an Deo Opt. serviendum.
Denique rectissimè *Martialis* cassis mi-
nis serias Orci pœnas opponit. Has ita-
que inter pugnas, plumbatis, fustuario,
præcipitio ferroque omnis fraterna acies
cadit. Et potuit in septem Germanis
trecentos Fabios spectare Roma. FELI-
CITAS certè spectavit, & oculis suis tot
sibi oculos erui videre sustinuit, dum ul-
tima à ferro est mortua. Si tamen mori
jam potuit septies mortua. Ex *Swrio*.

Quid tempore iudicii facturi sumus,
quando contra Crucifixi Domini livores no-
stæ peccatorum nostrorum, & macula libi-
dinum proferentur? quo vultu respiciet re-
demptio nostra perditionem nostram? tantò
graviora erunt nostra delicta, quantò maio-
ra se ostenderit divina beneficia. S. Cæsar.
hom. 23.

S. GO-

S. GOLINDUCHA M. II. Iulii.

PArcius multi cœnarent, si cum GOLINDUCHA nobili apud Persas matronâ. Epulo assidebat illa, cum ecce tibi, dum alii gulam, ipsa Superis invitantibus oculos suos pascit. Tollit hos Cælo, & quæ Cælites convivia actitent, spectat; poni ambrosiam, misceri nectar videt invidetque. Inde ad inferos demittit, & esurire micam, sitire guttam epulones, interque hos, prô dolor! etiam parentes suos advertit. Ipsa scilicet ad Christum Christiq; fidem se vertit. Succensuit conjunx, sociamque thori ad Saporem Regem fide minimè maritali defert. Hic octo ipsos annos in carcerem; tum quatuor menses in antrum compingit à dracone infessum. Cùm hoc etiam monstrum virtus domuisset, in infamem cellam abducitur; sed hinc à Tutelari Angelo educitur. Inde ad supplicium rapitur; sed ab hoc iterum eripitur, quòd tamen nimium quantum sanguinem pro Christo gestiret fundere, vulnus in jugulo, sed ab hujus cruore medicinam omnis id loci ager accipit. Hoc porrò monili superba GOLINDUCHA cùm locos à viris sanctis nobilitatos permultos aduisset, cælo tandem se intulit, & inde ad Saliarum epulas suas etiam oculos Marianorum invitat.

Ex Menæis & Theophylacto.

Ee 3

Quid

*Quid tam pavendum, quid tam plenum
anxietatis, & vehementissima sollicitudi-
nis excogitari potest, quàm judicandum a-
stare illi tam terrifico tribunali, & incer-
tam adhuc expectare sub tam districto judi-
ce sententiam? S. Bern. serm. 8. super B.
Qui habitant.*

S. JOANNES GUALBERTUS.

12. Iulii.

EN vatum, en pauperum Patrem, en
Ascetarum Magistrum, miris multis
maximisque illustrem! Nolle vis unde illi
hæ artes? femina audi melioris vitæ. Pe-
tit JOANNES armigero stipatus Floren-
tiam patriam urbem: angusto in calle ob-
vium habet hostem à cognato sanguine
calentem. Scilicet in iras animus, in gla-
dium GUALBERTUS assurgere, & par-
ricidium certè homicidio velle pensare.
Quid ageret saxum inter & aram hostis?
Ecce bonum in arenâ consilium! ad ge-
nuâ irati descendit, utque ignoscat per-
orantem è cruce pro hostibus suis Patro-
num Christum orat. Quid expectas?
vincit brevis, sed fortis eloquentia, iris
animum, ferro manum exarmat. ver-
bo, amici discedunt. Sub hæc in ædem
sacram JOANNES pergit, & ecce Icon
suffixi in crucem Christi capite annuens,
gratias habet ex suo nomine inimico ve-
niam non neganti. Quid ad ista, ô Pyr-
rhæ

13. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 439
rha genus? vos inquam, quibus pectus
immitte plusquam æs triplex asperat, ju-
rati hominum & in homine DEI hostes,
& quos hoc unum iuvat, non solos peri-
re. Iudice precante, reo non ignoscitis
rei? tantus est cruce Orator, tot ora vi-
brans quot vulnera non persuadet? li-
gnea movet se, imago, vos duratis? an-
nuit Christus, vos abnuitis? Ite, ite Sam-
sones egregii, & tumulum hosti, sed unam
vobis parate. *Ex Surio.*

*Dum nos invicem odio habemus, ita mu-
ros civitatis Hierusalem contra nos claudi-
mus, ut nobis nullus aditus remaneat, per
quem intrare possumus: nam qui charita-
tem habere noluerit, quam fronte ad Deum,
qui charitas est, presumit accedere? B. Cax-
lar. hom. 4.*

S. JUSTINA V. M. 13. Iulii.

GEMINA Dorothea JUSTINA est,
consimili ferè morte & prodigio à
morte consimili illustris. Parentibus or-
ba cum esset, forma tot hostes illi con-
ciliavit, quot procos. At illa, ut cui in a-
moribus solus Iesus erat, suam etiam
Christianis Penelopen ostendit, & mor-
tales procos facile ceteros elusit; cum
Fabiano Præsidente plusculum fuit luctan-
dum. Devoranda enim alapa, ferenda
verbera, & uberum carnificina. Atqui hæc
inter supplicia talem JUSTINA vultum

Ee 4 præ

440 VITÆ SANCTORUM. 14. Iulii.
præ se ferebat, ut inter paradisi amœni-
tates, quas unas tunc loquebatur, obam-
bulare sit visa. Et oportebat alteri Do-
rotheæ alterum etiam Theophilum esse.
Zeno hic fuit è iudicii subselliis primus.
Is, cùm virgo ad supplicii locum ridens
contenderet, rogavit fructus peregrinos
sibi è sponsi hortis transmitteret. An-
nuit capite truncanda **JUSTINA**. Mox
latus Zenonis pugio molliter pulsât, &
donum à mortuâ virgine strophium mis-
sum exhibet. Tunc quoque risit, cùm
strophium acciperet, qui horti mune-
ra sperabat. Sed nesciebat ille sub stro-
phio fructus latere. Hoc enim dum fron-
tem ridens tergit, ecce omnem animo
superstitionem abstergit, Christum &
se Christianum tam diu clamat, dum
lingua è faucibus exsecaretur. Caput de-
mum pro Christo ponit, &, quod alii
tam grave putant, cælum ridendo mere-
tur. *Ex Ferrar.*

*Quosque hinc erimus affixi? adhaesimus
terræ tanquam vermes; in cæno volutamus:
corpus de terrâ nobis Deus contulit, ut ip-
sum in cælum retrahamus; non ut animam
per ipsum ad terram detrahamus. S. Chryl.
hom. 55. ad pop. Ant.*

S. HENRICUS IMP. 14. Iulii.

G Emmam Romanæ Coronæ unicam
hic exhibeo **HENRICUM**, genuère
Bo-

Bojorum Duces, D. Wolfgangus educavit. Quidni ab his bonum Imperatorem speres? Certè Imperium à se ipso auspiciatus Virgo idemque conjux in triumphum Cupidinem duxit. Hoc subacto, facile alios Imperii hostes omnes fudit, tum præsertim, cum Æther illi militavit, & aciem, cui votum ante pugnam fecerat, D. Laurentius, & cujus gladio accinctus erat, Adrianus, tum Georgius Angelusque præiverunt. Sed ô lepidam fortunæ faciem! Tantis belli Imperator ecce à pueris vincitur. Obsidebat Trojam Apuliæ urbem, juratus nec imbelli ætati parcere. Cives sive armati, sive supplices in urbem repulsi. Ad triarios nempe res rediit. Erumpit ergo apertâ portâ puerile totius urbis agmen: signum Crux præit; barritus unus omnium, idem Kyrie eleison auditur, quid multis? primâ pugna HENRICUS capitur, & urbs libertate potitur. Adhuc gravior ille conflictus fuit, quem mortuus cum acie infernâ habuisse, dæmonis, qui rem in suis oculis gestam narravit, fide creditur. Is enim viro Religioso exposuit, nutasse illic cum lance HENRICI causam, donec iterum suppetias ferens Laurentius, calicem sibi donatum pro clypeo objiciens, rem restituit. Id nisi more suo dæmon confinxit, præidentem esse oportet, cui cor non palpitat. *Ex DD. Bamberg. Jac. Gretseri.*

Convertatur amotus, ut nihil diligas, nisi Deum ipsum, aut certè propter ipsum: convertatur etiam ad ipsum timotus: quia peruersus est timor omnis quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum: sic & gaudium & tristitia convertantur ad ipsum: hoc fiet, si non nisi secundùm eum doleas, aut leteris. S. Bern. de Jejun.

S. BONAVENTURA EP. 14. Iulii.

Contrà quàm hodie fieri amat, BONAVENTURAM mater ultrò Deo & D. Francisco devovit. Apud hunc pietatem doctrinæ ita junxit, ut dubiam altera alteri palmam faceret. Magnum testimonium Alexander de Ales est, non peccasse Adamum in BONAVENTURA. Ipse D. Thomas miratus raram in viro doctrinam, bibliothecam suam ut monstraret, rogavit: ille digitum in Crucifixum intendit. Tantus ad purpuram tamen plus ipsâ purpurâ erubuit. quin quod aliquoties indignum se putavit, qui sacro Epulo accumberet? Sed dignum esse Angeli monstrarunt, cum felicem sportulam ad os BONAVENTURÆ ultrò portarunt. Moriturus cum vomitu laboraret, lateri cibum Divinum iussit admoveri, & ecce inde ad ipsum Cor se Eucharistia penetravit. Quid jam miramur hoc (uti & caput) multis annis à morte integrum ab omni tabe

14. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 443
tabe repertum esse? Porro, dum vixit
Virginis unicè studiosus fuit. Itaque au-
ctorem eum Sodalitatum inter Laicos,
quos vocant, faciunt. Certè in D. Lucam
ideò libentiùs lucubrations scripsit,
quòd is de *Virgine* plura suggereret. Pul-
sum quoque æris campani, quo exciti sub
noctem venerabundi ter *Mariam* saluta-
mus, BONAVENTURA instituit, rectè, cùm
humanas linguas laudibus *Virginis* suc-
cumbere videret, in auxilium vocans fer-
rea ora & ferreas linguas. Ex vitâ &
Thom. Bozio.

*Non sic timent hostes visibiles castrorum
aciem, sicut aëreæ potestates Mariæ voca-
bulum, patrocinium & exemplum: pe-
reunt sicut cera à facie ignis ubicumque in-
veniunt crebram hujus nominis recordatio-
nem, devotam invocationem, sollicitam
imitationem. S. Bon. in spec. B. V.*

S. TUSCANA VIDVA. 14. Iulii.

Aldite qui vestrâ jam expugnatâ,
alienam oppugnatam itis pudici-
tiam; pugna vestra aleam ex aliorum
fortunâ colligite. In TUSCANAM ocu-
los, sed castos conjicite: cui ad miracu-
lum formosæ nihil è toto muliebri mun-
do ita ut virginitas placuit. Ergo ad
nuptias nobiles imprimis adduci non
potuit; trahi, cogi debuit. Et jam li-
beraverat longiore metu mors conjugis
pavi-

444 VITÆ SANCTORUM. 14. Iulii.
pavidam, cum amor infestus aliâ ex parte bellum intulit. Tres, qui sub Venere merebant, juvenes, impetum in ædes castissimæ facere, & diripere pudorem constituunt. Addit animos visa TUSCANÆ forma, imò audaciam pudor proscriptus. Dum precibus illa pugnat, fenestra ordine proditores accipit. Sed ecce ut primum princeps è hostibus intrat thalamum, cadit humo afflictus à malo dæmone. Eadem secundi, eadem tertii fortuna. adsunt interea parentes, veniamque atque adeò vitam victis à victrice TUSCANA exorant. Nam hæc precibus suis lacrymisque omnibus vitam infundit. Ergo à morte tergemini adolescentes surgunt, narrantque cum lacrymis, quibus illic suppliciiis mulctetur Venus. Mox. animos expiant, & jam victuri moriuntur. At TUSCANA tot periculis pudorem exposurum videns, precibus & assiduis jejniis munivit, dum à præsentibus in morte Coelitibus ad stipendia illis verbis est evocata: *Veni Sponsa Christi TUSCANA, accipe coronam, quam tibi Dominus preparavit in æternum.* Similem cupis Mariane? vincenti dabitur. *Ex Ferrar.*

Omni studio carce tibi à corpore mortuo in incendio cupiditatis. Objice menti tuæ ignem illum inextinguibilem, & vermem illum, qui non habet finem; & carnis inflammatio confestim extinguetur. S. Ephrem de Exercitatione.

S. J A-

S. JACOBUS NISIB. E. 15. Iulii.

ILLE JACOBUS est, qui Pontifex Nisibensis mira oppidò agit. Pauca è multis hæc habe. Contra jus & æquum sententiam nescio quis Iudex tulit. Hic contra Iudicem JACOBUS testem produxit saxum verbo in sexcentas partes diffractum. Sub aliud tempus hominem Divo objecerunt fictè mortuum. Ille precibus primò verò mori, tum precibus iterum non fictè fecit in vitam resurgere. Jam Saporì Perfarum Regi urbem obsidenti, ita Numine volente, ex muro ipse Imperator esse est visus; mox in ejus exercitum ingens culicum agmen armavit, castrisque tam levi milite exiit. Illud non minùs lepidum est. Lavabant ad fontem non Dianæ, sed Veneres. Et facillè, ne Actæon fieret, JACOBUS oculis imperasset; sed aures invitas procax sermo & leno risus pulsabat. Succensuit improbitati & suas fonti aquas ademit, puellis intempestivos canos addidit. Illicet ad horum aspectum erubescere denique leviculæ, & lacrymis fontem velle reparare. Et hunc quidem restituit civibus Pontifex, at canos (quò cum his saltem saperent) perpetuos esse jussit. *Ex Surio & Virid. Raderi.*

Nullus homo sibi solùm Vivit, & quantumque exemplo sanctæ vitæ adificaverit,

446 VITÆ SANCTORUM. 16. Iulii.
verit, cum tantis & pro tantis mercedem
retributionis beata vita accipiet & quan-
tiscumque exemplum malæ conversationis,
etiam si eum non sequantur, præbuit, pro
tantis se malis noverit rationem redditu-
rum. S. Aug. serm. I. de temp.

S. VITALIANUS EP. 16. Iulii.

CAPUÆ natus VITALINUS virtutis præ-
mium à patriâ Infulam tulit. Fue-
runt tamen qui decus hoc inviderent a-
lieno capiti, suo quererent. Et placuit in-
super, cum vel maximè seriò rem age-
rent, fabulam tamen dare. Dormienti
vestes suas auferunt, & in locum mulie-
bres reponunt. Has ad preces matutinas
vocatus imprudens induit, & templum
petit VITALIANUS. Enimvero ridenti-
bus aliis non riserunt scelerum sartores.
Meretricio habitu contemeratam infulæ
majestatem clamant. Proditam tandem
histrionicam vel ab ipsâ nocte sanctita-
tem. Parum fuisse cum mulieribus no-
ctes, dies agere, nisi totas denique in mu-
lierem abiret. Viderent nunc cives an non
rectius colum quàm pedū mulieri com-
mitterent. Si viri essent, non luros sic
stolatum Episcopum. Si expiare urbem
vellent, monstrum (Episcopum femi-
nam) aquis sepulturos. Quid multis? dum
patrono caret innocentia, in mare abjici-
tur, non jam eluente, sed faciente parrici-
dium culeo. Sed quis innocentiam mer-
geret?

geret? Emerfit more suo; & cælum ingratibus civibus aquas & cum his fegetem negavit, dum VITALIANUM revocarent. Unâ igitur VITALIANUS & imber è cælo missi exceptique. Sed ille non fidens honoribus, *Deiparæ* Templum struxit, vivensque in hoc privatus invidiam sub *Virginis* pallio impunè jam risit. Ex Ferrario.

Anima, quæ amat, ascendit frequenter & currit familiariter per plateas cælestis Ierusalem, visitando Patriarchas & Prophetas, salutando Apostolos, admirando exercitus Martyrum & Confessorum, chorosque Virginum speculando. S. Aug. Man. c. 24.

S. ALEXIUS CONF. 17. Iulii.

Theatrum est Orbis, in quo sapius malè multi divitem, sed bene pauperem egit ALEXIUS. Patrem Romæ habuit Euphemianum senatorii Ordinis, Sponsam Regii sanguinis. Sed quâ nocte Hymenæus pedem thalamo inferebat, sponsum non reperit. Nempe noctis beneficio elapsus Edessam aufugit, ibique inter mendicabula tam diu latuit, dum ab effigie *Deiparæ*, ad cuius templum assiduus excubabat, est proditus. Tunc Romam rediit, & (quis credat?) in patriâ domo felicius personam dissimulavit. Hic cum è tantâ hereditate vix ultimum angulum adium impetrasset, risit scilicet, cum domi se agentem quæri in alic-

448 VITÆ SANCTORUM. 18. Iulii.
alieno orbe videret, cum parentes se or-
bos, sponsa viduam se lamentaretur,
cum utrique presentem inclamarent, vi-
vum lugerent. Spectabat interim ficus
suorum lacrymas, vivus suas exequias;
appellabat patrem matremque, nec filius
audiebat; basiabat servorum suorum ma-
nus & ab his servilia multa patiebatur,
jam pugnis contusus, jam sordibus per-
fusus. Sed demum mors siparium redu-
xit. Vox etenim humanam major Roma-
num & Pont. & Imp. ad demortuum ex-
civit. Ibi ALEXIUM prodiderunt vultus
astro similis & litera in manibus reper-
ta, quibus ipse fabulae totius argumen-
tum descripserat. Et placuisse fabulam
Caelum ostendit, cum miraculis applau-
dit, toties plausus repetiturum, quoties
fabulam juventus. Ex Metaphr.

*Vis obtinere caelum, quod perdidit super-
biens angelus, qui confusus est in virtute sua,
& in multitudine divitiarum suarum?
Paupertatis vilitatem amplectere; & tuum
erit. S. Bern. serm. I. de Omnib. SS.*

S. SYMPHOROSACUM VII. FF. MM.
18. Iulii.

Reliquit Getulius Mart. post se con-
jugem SYMPHOROSAM & VII.
filios. Bonum factum! e tanta familia
neminem reperias degenerem. Scires
illam Martyris uxorem, hos filios esse,
qui

18. *Julii*. VITÆ SANCTORUM. 449
qui sanguine tincta parentis vestigia for-
titer insisterent. Ergo Adriano Imp. sisti-
tur animosa cohors; & ecce mater du-
cit. Blanditiis, minis, tormentis om-
nibus pugnatur. Sed vincunt in filiis ma-
ter, in matre filii, dum ante oculos pa-
tris volat memoria, & Martem ejus,
quem fundi viderant, sanguis accendit.
Cumque mater in præterfluentem cum
appendice saxo abjicienda esset, *Præes*,
clamabat, *filios ad victoriam mater. Si filii*
estis, ad patris dexteram & matris sinum
etiam per tela & ignes curretis. Ecce mo-
rior; pulchro mortis heredes quos nisi filios
dicam meos? Iamque valete: ego mulier per
Andasportum peto. Si viri estis, per vulne-
ra viam in cælum animo facietis. Dixit
& undis merfa, quò voluit, enatavit. Po-
firidie fortissima turba iterum produci-
tur, singuliq̃ ad palum ligati statuun-
tur, quasi verò in hâc pugnâ tyrones &
non veterani jam essent. Inde *Chrescen-*
tius ferro guttur, *Julianus* pectus, *Primi-*
tius umbilicum, *Nemesius* cor trajicitur,
& omnes adversa vulnera sibi gratulan-
tur. Iam *Eugenius* in duas partes, at *In-*
stinus, ut ampliùs augeter fraternam a-
ciem, membratim dissecat. Denique
Stacteus omnium telorum stat scopus.
Neq̃ re jam Tyrannus prohibere potuit,
quò minùs fratres secutus ad astra evola-
ret: pennas tot sagittæ addiderunt. *Ex*
Rom. Brev.

FF

ES

Est bonorum Adolescentulorum, timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, deligere clementiam ac verecundiam; que ornamenta sunt minoris ætatis. S. Bern. l. de Ord. Vitæ.

S. ARSENIUS C. 19. Iulii.

ARSENIUS bonis artibus & virtutibus juxtà clarus Arcadium & Honorium Theodosii Aug. filios literis imbuendos & pietate accepit: quod muneris tantius Imp. fecit, ut eum non filiorum modo, sed suum etiam parentem dici voluerit. Quid? quòd ubi sedentes pro dignitate stans docuit, interveniens Theodosius stare impostero filios & audire sedentem iussit, timendas imperii secures literatis scholæ fascibus submittens, quos cum in gravius delinquentem Arcadium strinxisset ARSENIUS, necem ille Doctori inferre molitus est, penè Nero ex Arcadio factus. Adeò non jam primùm bonorum Magistrorum didactron odia & insidiæ sunt discipulorum. ARSENIIO interim vox calo hæc accidit: *Fuge, tace, quiesce.* Fugit itaque, sed aulæ servitutem: tacuit Eremitæ discipulus, sed Doctorem Angelum habuit. Hic vana hominum studia illi depinxit primò in Æthiope, qui levando, cui impar erat, oneri, alia atque alia identidem ligna adjiciebat; tum in homine, qui aquas ridiculè cribro hauriebat: demum in duobus, qui cum tigno

gno transverso angustam subire portam contendebant; è quibus primus peccantium, alter ambitiosorum, duo alii invidiorum erant typus. Denique beatâ morte ARSENIUS quievit annos natus C. XXI. & tunc etiam talisque mortem horruit. Certè vivus semper cum strophio visus est, quod lacrymas biberit, quas mors exprimebat, expressura etiam nobis, si cum ARSENIO memoriæ impressam altiùs gestaremus. *Ex Metaphr.*

Neceffe est, ut illucescat dies patientia, per quam omnia dura tacitâ amplectaris conscientia, te magis dijudicans, cui displicent, quæ ad salutem sunt, & in cogitatione tuâ semper partem Magistri adversus temetipsum iurans, teq; accusare, illum excusare laborans. S. Bern. serm. de Circum.

S. MARGARITA V. M. 20. Iulii.

MARGARITAM in manus damus, vel cælo iudice pretiosam. Adolescentula clam parentibus Sacra nostra edocta est. Eam ob causam ad Olybrium Præsidentem raptata fuit, ipso (nefas!) parente filiam accusante. Gravius etiam periculum cudebatur, quando Iudex à formâ MARGARITÆ captus amatorem induit, & mollibus armis, blanditiis pugnam movit. Elusit tamen insidias Virgo prudens, & Præsides larvâ amoris positâ tyrannum prodidit. Virgis initio cæsa, tum uncis lacerata & in carcerem date. Ibi quoque fatigatam recens hostis Or-

452 VITÆ SANCTORUM. 21. Iulii.
cus except, Draconis exuviis horrendus.
Sed hunc objecto scuto Crucis repulit,
precumque jaculis confixit. Victrici Su-
peri trophæum posuerunt Crucem mirè
splendentem, & è cuius apice columba
solatia dedit & omnibus vulneribus me-
dicinam. Triumphum hunc primum or-
narunt XV. millia hominum in liberta-
tem Christianam è Deorum servitute
asserta. Non multò post iterum pugna-
tum, & in triumphum ducti ignis &
aqua. Nam & faces ardentes pectori ad-
motas in sancti amoris flamas, & a-
guas, in quas abjecta erat, in baptis-
mum vertit *Deus*. Iterum ergo trium-
phanti columba illa divina palam coro-
nam imposuit. Invidit Olybrius, & ca-
put laureatum gladio abstulit. Sed im-
prudens alteram coronam adjecit. *Ex Su-
rio & Lippeloo.*

*Diabolica tentationis tibi proponuntur
exempla, ut & ipse contra hostis callidi
deceptoris insidias solerter evigiles, & dum
te delectat aliorum audire victorias, ipse te
per languidi corporis ignaviam non remit-
tas. S. Pet. Dam. l. 6. Ep. 21.*

S. DANIEL PROPH. 21. Iulii.

A Gite Mariani, si virtutis ardua, si res-
qua piger calcare, ecce ille magnorum
regum vates, ille leonum & adeo Deo-
rum domitor per pomaria illuc vos du-
cet.

cer. vos modò ne oculos otiosos afferte, sed obambulando ipsum pudicitiae florem Susannam spectate. Annè videtis, uti nec formæ decor, nec locus solus, nec blanditiæ minavè hunc possint decerpere? nempe sola non fuit, quæ secum in oculis ubique Numen circumtulit. Certè hoc suis in oculis Susannæ tulit. Etenim, agite modò capita scelestæ, eja populum in vestram perniciem cogite, accusate innocentiam damnandi à puero senes. Et, quid tu ais? scelus, ubi facinus patratum? sub *schino*, euge! & tu Orci silicernium, ubi? sub *prino*. papa! neque mentiri scitè didicistis. Io! Innocentia triumphæ, nunquam patrono cares. At vos capulares Veneris columbos jam lapidantium manus palpabunt. quid saxa, quid moras trahitis? obruite eja improbas Cupidini victimas. Epitaphium ego dabo. *Sub saxis amor his jacet sepultus. Ex Dan. ipso.*

Differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed felicitate, non virtute: illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur; sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis loco & tempore statum quendam immortalis gloriæ representat.
S. Bern. ep. 43.

S. DANIEL ABB. 21. Iulii.

Impetraverat à Deo DANIEL hæredem viro, quocum illi hospitii familiaritas intercesserat, Itaque hic eum patronum, at malevoli patrem etiam pueri vocabant. Sed pro innocentia pronuntiavit Innocentia altera. Infans nuper natus, qui iussus à DANIELE patrem palàm edicere, digito in verum parentem conjecto, *Hic*, agebat, *pater meus est*, atque ita simul patronum suum absolvit, simul calumniatores improbos damnavit. Sub hæc cum DANIEL Eulogium latomum cerneret in egentes præ aliis piis, precari apud Deum institit, plures opes submitteret tam bene prodigo. Et annuere *Deus* est visus si pro Eulogio sponderet, divitias fraudi, morum integritati non futuras. Convenit, spondit DANIEL. Igitur Eulogius cum saxi thesaurum eruit, ad aulam abit, honores mercatur, fruit palatia, emit mancipia, splendide ac lautè victitat. Adest DANIEL officii sui amicum comonefacturus, sed surdam ad pauperis vocem januam reperit, verberibus pro stipè oneratus. Anxius proinde cum à *Christo* crucifixo exsolvi vadimonio postularet, annuit Filii nomine *Mater Magna*, mox etiam ipse *Filius*, eâ lege ne simile posthac vadimonium faceret inpru-

22. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 455
inprudens. Interea Eulogius mortuo Imperatore, honorum fastigio opibusque omnibus excidens in latomias suas postliminiò devolvitur, mox cum paupertate pauperum amor & unà virtutes omnes ab exilio revocantur. Tam malè, ô Divites! vitæ sanctitati cum divitiis, tam bene cum paupertate convenit. *Ex Pet. de Nat.*

Prorsus beati pauperes Christi, quorum fides sic elusit sapientiam mundi, ut soli, quis sit optimus divitiarum usus, invenerint, quod videlicet divitiæ pauperem faciant, si diligantur; divitem & beatum si pro Christo contemnuntur. Guerr. serm. de omn. SS.

S. WANDREGISILUS C. 22. Iulii.

Exemplo in paucis memorando WANDREGISILUS nobilissimam Sponsam conciliavit Christo; ipse Dagoberti aulam, cujus comes erat, Asceterio posthabuit. Inde revocatus regis imperio ad ipsa palatii limina currum rusticelli eversum magno labore, majore sui contemptu, è luto sustulit. Risere scilicet aulæ mancipia, cum principem animum in coenum abjicere se viderunt. At intempestivos cachinos castigavit Deus censor, quando, qui vestes purgaret Wandregisili luto asperfas, è cælo palàm Ephebus adstitit, &

Ff 4

ser-

456 VITÆ SANCTORUM. 22. Iulii.
servitia tam nobilia rex ipse Dagobertus
invidit. Cum bonâ igitur hujus veniâ de-
inceps compluria Cœnobia WANDRE-
GISILUS nobilitavit, unum etiam
ipse extraxit Fontinellense dictum, & sub
signis monachos CCC. numeravit. Ha-
buit verè ad hæc hortatorem Angelum,
qui & testem se rectè factorum & verò
apud Superos præconem etiam fore pol-
licitus est. Interea, qui Divo necem
parabat regio saltui. præfectus, à ma-
logenio correptus, sospitatorem WAN-
DREGISILUM sensit. Annonam egen-
ti monita à cælo Regina Blitildis mi-
sit. Æger acie tamen dæmonum aciem
vicit, & de victoriâ gratulantes Cæli-
tes audivit. Demum ne de cælo ipso
dubitaret, triduo antè hoc visum est
morituro patere. Ex Surio.

*Multi de Deo sperant pecuniam; multi
de Deo sperant caducos honores & peritu-
ros, aliud quidlibet à Deo præter ipsum
Deum: sed tu ipsum Deum tuum pete. Re-
linque omnes amores, pulchrior est ille, qui
fecit cælum & terram. S. Aug. in Ps. 39.*

S. MARIA MAGDALENA.

22. Iulii.

MAGDALENA, quæ omnium in
spem peccantium animos erigit,
utinam etiam in pœnitentiam erigeret.
Tantum lacrymatum potuit lavacrum,
cùm

22. *Iulii*. VITÆ SANCTORUM. 457
cū aquas amor oculis deplueret à flam-
mis suis calentes, cū ingeniosus è ca-
pillis lintea texeret. Ergo tot dæmonum
malorum nuper hospitium, *Christi* fit
Hospita, hujus sermonibus frui & amo-
ribus digna est, ab hoc apud Simonem
de audaciâ, apud sororem de otio, apud
Iudam de prodigalitate accusata defen-
di semper meretur; apud hunc fratri
defuncto vitam exorat, hunc nardi odo-
ribus recreat, ministra par Iudæam se-
quitur, & in crucem sequitur; hîc pe-
des lacrymis iterum lotos, iterum oscu-
lis siccatos tumulo condit dolore plena,
mox redivivos ambit gaudiis ebreja, &
lætissimi nuntii ad Apostolos nuntia.
Quid? quod hunc etiam ipsa Apostoli
vices functa in ipsas usque Gallias Massi-
liam portavit, & populos nova amoris
magistra amare Crucifixum docuit. Hunc
illa inter silvas maximè & loca sola ve-
nabatur, & in undo lectulæ Crucis,
quam illic loci Angeli defixerant, inda-
gabat. Audires jam saxa edocta & littora
barbara *Jesum* suspirare, *Jesum* inge-
minare; cū interim sæpiculè hic ad
Dilectam è cælo inviseret, illa sæpè sæ-
pius ad Dilectum ab Angelis maëre, tan-
de min cælos etiam raperetur. *Ex Evang.*
& Silo. Prierate.

Si nos esse peccatores novimus & esse no-
lumus, podibus Christi demus lacrymas,
figamus oscula, pietatis oleum totâ de-

Ff 5

otione

458 VITÆ SANCTORUM. 23. Iulii.
*votione fundamus. Imitemur Magdalenam
quam conspicimus non solum caruisse pec-
catis, sed ad sanctitatis verticem pervenis-
se. S. Petr. Chrysol. serm. 2. de S. Magd.*

S. BRIGITTA Vid.
23. Iulii.

Vixdum septennis erat BRIGITTA,
cùm jam coronâ donari meruit à celi
Imperatrice. Hæc eadem acu pingenti in
opere adesse Magistra visa est. quidni ab
hac Pallade edocta pulchrè pingeret? Eo-
dem ferè tempore *Christum* velut tunc
primùm in crucem suffixum vidit, di-
ctitatem tem facinus hoc eorem esse, qui
suos amores negligenter, mundi sectaren-
tur. Inde illa dolenti tam condoluit, ut
quoties patientis mentio fieret, testes
continuò doloris lacrymas daret, feriâ
item VI. semper plagas animi nudaret,
corpusculum ardenti cerâ perfunderet,
herbas ore manderet amatissimas gustui,
sed quas medicus amor condivit. Viro
nupta vitâ egit tam sanctam, ut obstetri-
cantem è celo manum commodare *Vir-
go* parienti non dubitarit. Ipsa Matris of-
ficio tum se functam putavit, cùm *Deo*
prolem transcripsisset. Filium certè, cui
lacrymis calum emollierat. ipse *Deus* fi-
lium lacrymarum vocavit. Iam quoties
illam loqui homini contigit graviori la-
be asperso, oberrare ipsam naribus
Mephi-

24. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 459
Mephitim credidit, adeò malevolentes
animas scelerati trahitis! A morte con-
jugis novas religiosè vivendi leges vi-
ris virginibusque scripsit, quas ipse
Legislator CHRISTUS illi dictavit,
cui etiam præsentì, anno supra M.
CCC. LXXIII. animam reddidit.
Mortem illius orbis ideò minus tunc
agrè tulit, quòd vivere etiam mor-
tuam in filiâ Catharina crederet. Ex
Survio.

*Quæ anima semel didicit Dei præsen-
tiam suspirare, & querere faciem ejus
semper, nescio an vel ipsam gehennam ex-
periri ad tempus horribilius ducat, quàm
post hujus studii gustatam suavitatem exire
denuo ad illecebras, vel potius molestias
carnis. B. Bern. serm. 25. in Cant.*

S. CHRISTINA VIRG. MART.

24. Iulii.

Dicite, quotquot Musas colitis, quid
virgine felicius, si Doctorem habere
Angelum meretur? Certè Virgo CHRIS-
TINA habuit, & Christianæ doctrinæ
rudimenta cùm edisceret, ab ore Ange-
li pependit. Nempe sic ipsis Diis quo-
que (quos argenteos aureosque parens
habebat) rectè uti didicit, quando fra-
ctos in frustra pauperibus jussit cedere, do-
cuitque hos ipsos rectè denique morta-
libus propitios esse: jam parentis furo-
rem

460 VITÆ SANCTORUM. 24. *Iulii.*
rem ut fortiter excepit? Alapæ, vincula,
unci, rotæ, flammæ velitationis speciem
præbuere. Et in hâc ipsâ cùm truncas
corporis partes in vultum (hostis dicam
an parentis? projiceret, an non in vito
extorquere verecundiam potuit? Angeli
deinde manu persanata an non iterum
provocare hostem? Sed totâ ecce acie
mors occurrit? in lacum Vulfinum præ-
ceps agitur, molari collo appenso. Vin-
cit videlicet mari etiam virtus, & gaudet
CHRISTINA à Christo toto lacu
nunc baptizari, quæ omni sanguine nu-
per. Quid quòd incolumis enatat, parens
morte infelici stygiis undis mergitur?
Quid ages, qui in officio pariter & odiis
succedis Dion? quid Iuliane, oleum ite-
rum ardens affundis? cùm opera perdis,
picem ingeris? Christo adharet, fornacem
paras? isterum cantus inter flammam
audis, serpentes cogis? jam stygios vi-
cit. Ubera referas? non eget his virgo.
Sagittis denique petis? pennas addis in
cælum volanti. Si nescis, illa tibi, illi
meta cælum est. *Ex Mart. Rom. Adone
& Petr. de Matal.*

*Elige illum amicum præ omnibus amicis
tuis, qui, cùm omnia subtracta fuerint,
solus tibi fidem servabit in die sepulture
tuæ, cùm omnes amici tui recedent à te, ille
te non derelinquet, sed tuebitur à rugienti-
bus preparatis ad escam. S. Aug. Man.
c. 24.*

S. CHRI-

S. CHRISTINA MIRABILIS.

24. Iulii.

R EATÈ Orbis CHRISTINAM mirabilem dicit, quando talis etiam est vita ejus. Tu quoque mecum mirare. In Hasbaniâ & nata & denata postquam oculis purgantium animarum in piacularibus flammis tormenta arbitrata est, patulum cælum habuit; nunquam excludenda, si semel modò ingredi libuisset. Sed commiseratio, quam in animo visa supplicia reliquerant, tantum potuerit, ut elegerit in vitam redire, & alienas noxas in suo corpusculo plectere; probante ipso Christo Iudice pium consilium. Horrescit animus narrare, quæ deinceps viva iterum virgo facere non exhorruit. Unum vita tota portentum fuit. Nam, ut alia omittam, volucrem illa pernicitate suâ vincere, & jam fornaces succensas ingredi, jam glacie duratas aquas subire, modò è patibulis se suspendere, modò facinorosorum rotis membra illigare, interdum per sentes & vepreta volutari, canumque dentes in se armare. Porrò vaticinia complura edidit. De decretorio illo Judicii die magno animorum motu concionari solita, scelera omnia, sed luxuriam potissimum, assiduo fletu gemituque damnavit. In supremo tamen morbo recreata est Angelicis modu-

462 VITÆ SANCTORUM. 25. Julii.
modulis, iterumque è vitâ abiens non u-
nam jam animam cælo intulit. *Ex Surio.*

*Si est sub terrâ Tartari carcer, si est com-
bustio ardens, si est Infernus sine fine cru-
cians, quid stupemus quare non omnibus
contemptis sola nobis cura sit evadendi à
malis talibus, ne viventes mundo ad can-
tas, tales, tam crudeles subito rapiamus
pœnas? S. Pet. Chryf. serm. 124.*

S. JACOBUS APOSTOLUS.
25. Julii.

LAudes JACOBI scripturo pennam
ultrò JACOBI volucres ingerunt.
Audi juvenus, & patronum tuum me-
cum lauda. Ibant conjuges pii Compo-
stellam, & trahebant pietatis suæ comi-
tem filium formâ liberali juvenem. O
ut periculosè castitas peregrinaris! Hof-
pitis filia oculis capta adolescentis, ca-
pere etiam ipsum nititur. Evadit hic mu-
liebris amoris laqueos, sed non odii. Sub-
dola enim inter sarcinulas castissimi au-
reum craterem condit, & abeuntem de
furto accusat. Damnatur, ducitur, &
in crucem tollitur; sed non moritur in-
nocentia. Dum enim mœsti parentes iter
relegunt, dum agrè & pedes trahunt &
animas senectutis scipione filio amissò,
dum frui illos vel pendentis aspectu ju-
vat, ecce ab infelici arbore filius: Quid
lacrymis vivo parentas mater? vivo Dei
Matre.

25. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 463
Matre & JACOBO succollantibus: ii,
Judici dic, ne damnare pergat, quem
mors absolvit. Vix hæc ille ad matrem,
cùm mater hoc ad Judicem mensæ ac-
cumbentem. Hic; tam scilicet filius tuus
vivit, quàm assus hic cum gallinâ suâ
gallus, qui lautus unctusque sepulchrum
stomachum expectat. Jam carpere para-
bat, cùm gallus & gallina in vitam se e-
rigunt, innocentie victrici alis applau-
dunt, gallus etiam Pæana canit. Ergo
damnat se ipsum Judex, & innocentem
missum facit, volucrum verò proles post-
huma etiam hodie plumas suas cum lau-
dibus JACOBI in omnem orbem spar-
gunt, nunquam omnes, licet tot quoti-
die vellicent, evellendas. Ex L. Marino
l. 5. de reb. Hisp. c. ult.

*Quid ditius quid in corde dulcius, quid
in terrâ quietius est, & securius bonâ con-
scientiâ? damna rerum non metuit, non
verborum contumelias, non corporis crucia-
tus, quin & ipsâ morte magis erigitur
quàm deprimatur. S. Bern. l. de Cosid.*

S. CHRISTOPHORUS M. 25. Iulii.

CHRISTOPHORUS, sive corporis
sive animi spectes robur, semper
magnus, nomen hoc suum reportasse
tunc creditur, cùm *Christum* sub pueri
vultu per aquas transportavit, non ma-
gni laboris maximum naulum. Certè
Chri-

464 VITÆ SANCTORUM. 25. Iulii.
Christum per Lyciam circumtulit, cum,
ut auctor S. Ambrosius est, hominum
millia IV. supra XL. ferre *Christi* jugum
docuit. Virgam manui familiarem cum
ad concionem dicturus aliquando humi
defixisset, confestim frondere vidit, &
miraculo etiamnum pictores favent. Sed
& ad tribunalia tulit *Christum* Captus
enim & in vincula coniectus, Decio im-
perante, immittas ad se geminas & per-
frictæ frontis mulierculas à Venere ad
Christum perduxit, cui etiam sanguine suo
nox litarunt. Ipse candentem ab igne ga-
leam indutus & in ferreum, cui flamma
suberant, lectum abjectus dormire scili-
cet suaviter in his tormentis visus est. In-
de jaculis militum stetit expositus, ingens
meta, sed prorsus innoxia. Quid? quod
ajunt sagittam reversam domini sui oculo
perniciem attulisse, & medicinam eidem
CHRISTOPHORI sanguinem fuisse,
qui tandem cervicem gladio fortiter dedit,
quod unum restare videbatur, ut hemilem
tali portam tam magnus subire posset. Ex
Syn. & Lippel.

*Beata anima, qua thalamum suum di-
ligenter ac decenter adornat, ut cum digno
ac placito Christum regem honore suscipiat.
O anima, considera, qua sit illa Majestas
suscipienda: cogita quâ curâ te illi pra-
parare locum oporteat. Guericus serm. 3.
de Purific.*

S. GLO-

466 VITÆ SANCTORUM. 26. Iulii.
gnantem obnubit, jamque urbe attonitâ,
jam parentibus etiam gaudentibus, GLO-
DES INDIIS in thalamum suum (Virginum
Collogium) abducitur. Ex Surio.

*Cura habere lilia penes te, seruis habere
Deum habitatorem liliorum habitantem in
te. Opus tuum, studium tuum, desiderium
tuum lilia esse protestantur moralis quidam
rerum ipsarum candor atque odor. S. Bern.
serm. 71. in Cant.*

S. SIMEON CONE. 26. Iulii.

Mundum omnem suis beneficiis o-
bambulare voluisse SIMEON vide-
tur, etiam postquam exiit è mundo, &
vel inter Monachos vel Eremicolas vixit.
Inter hos agenti cum fames ultima mi-
naretur, cervus Divo sponte suâ victi-
mam se stitit. Hierosolymæ hospes cum
degeret, malos hospites dæmones sep-
tem sibi fecit cedere. Romæ hereseos
accusatus, accusatorem, quem malus
genius corripuerat, precibus suis reus
absolvit. Plura aliâ mira cum celebrem
illic facerent, honores fugâ elusit. Fu-
gientem cum Monachi ex itinere verberibus
malè accepissent, conjectique eam
ob rem in vincula ab Episcopo fuissent,
SIMEON noctu hostes suos è carcere exe-
mit; & gloriolam iterum fugiendo vicit.
Pisâs cum ingrederetur, obvium è
Styge nuntium habuit illud rogantem:
Quo

27. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 467

Quo tendis Monache? SIMEON hoc tantum respondit: *Quò me Christus duxerit.* & ecce molestus rogator viam suam ilicò in orcum relegit. Hinc Lucam venit. Ibi cum Iudæorum Antesignanum bellum Virginitati *Deipara* moventem morte subitâ sterneret, reliqui manus dederunt. Placentiæ noctu oraturum suoapte motu apertum templum recepit. Padum pedes trajecit tam citò ut velis & remis usum crederes. Iamque quocunque iret, è viâ morbi cedebant. Sed nos sistimus calamum fessum. Tu quoque Lectòr, ne orbem nobiscum perambulare cogaris, similia illum in Galliis & Hispaniis factitasse puta. *Ex Ferrar.*

Ut evadas hominem Dominum, quicumque servus es, sagis in ea loca, ubi non est Dominus tuus: ut evadas Deum, fuge ad Deum: nam non est, quò effugias Deum, præsto sunt omnia & nuda Omnipotentis oculis. S. Aug. in Psal. 30.

S. PANTALEON M. 27. Iulii.

PANTALEON sive PANTELEFMON (namque hoc illi nomen morituro cælum fecit) adolescens medicinæ operam dedit. Sed compendium illi ad hanc artem rectius Herimolaus in Christi scholâ ostendit, quando in hujus nomine latere panaceam edocuit. Experimentum à puero sumptum, quem vipera

Gg 2

mor-

468 VITÆ SANCTORUM. 27. Iulii.
morsu enecat. Hunc uno Christi no-
mine vitæ reddidit, & succedaneam vi-
ctimam morti viperam dedit. Eâdem
medicinâ noctem oculis excæcati pepu-
lit, gemino miraculo; nam hoc tene-
bras etiam parentis animo discussit, fi-
demque fecit aspicere. Verum his rectè
videntibus, oculi ipsis Medicis cœpe-
runt dolere, cum Æsculapium suum ad
Christianos transisse viderent. Quin in-
vidiâ excæcatus etiam Imp. Maximi-
nianus in medicum cœpit furere, cum
paralyti afflictum in pedes rexisset, quem
in opem à sacrificulis vocatus Phœbus
destituerat. Ferro igitur & ignibus sæ-
vit, liquato oleo perfundit, ex equuleo
suspendit, undis mergit, totâ innectit,
necquicquam ingeniosus in pœnas; cum
medici vulneribus medicinam Christus
semper faceret, & diras omnes carnifi-
cum turbas averteret. Spiculator quoque
ad primum ictum ferrum suum ceram
esse, & collum martyris marmor de-
prehendit. Resectum denique caput la-
ctis liquorem, & oleaster, ad quem vin-
ctus Martyr steterat, subitas frondes
dare visus est. Voluit Herculem suum co-
ronare. Ex Metaphr.

*In hujus vitæ miseriam intraisti lugens;
dies tuos in dolore & ærumnâ pertran-
sisti; cum luctu & labore hinc exiturus es.
Intelligas ergo in quantum sit ingressus tuus
flebilis, progressus tuus debilis, & egres-
sus*

27. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 469
sus horribilis. Auctor spec. Peccat. tom.
9. S. August.

SEPTEM DORMIENTES.

27. Iulii.

Ingens hi Sancti Ecclesiæ negotium
etiam D O R M I E N T E S confecerunt.
VII. erant omnes germani fratres, quos
Decius à patre fide minimè paternâ pro-
ditos obstructo spelæo conclusit. Iverant
saluca jam duo & amplius, quando hæ-
resis ab orco surrexit, quæ surrecturos
olim à tumulo mortuos negavit. Som-
nium hoc esse, VII. hi, quos D O R M I E N T E S
dicimus, monstrarunt, qui
tum in tempore sive à morte longâ, sive
sonno prodierunt. Illi noctem se unam
dormisse rati, Decium adhuc somnia-
bant. Quare *Malchum* ex suo numero
adolescentem, quem ætas & morem sua-
vis elegantia omnibus charum fecerant,
exploratore in urbem mittunt & com-
ineatui præficiunt. Hic dum vigilare pro
urbe Crucem videt, dum nullum tonare
Iovem, sed *Christum* audit, mirari unius
noctis metamorphosin, & vel adhuc dor-
mire, vel in alterum orbem, aut certè
urbem delatum se credere. Mox cum
moneram antiquitate suâ incognitam
protulisset, suspicionem reperti thesauri
dedit. Hic ille apud Procos. ad Decium
provocare, qui utique nosset adhuc,

G g 3 quem

470 VITÆ SANCTORUM. 28. Iulii.
quem heri unà cum fratribus, quòd
Christo militarent, balteo spoliasset. Ob-
stupuit ad hæc urbis Antistes, & *Mal-*
chum ad montem secutus è ruderibus æ-
neas laminas, cum his rem omnem in
lucem profert. Adest ipse Imp. Theo-
dosius, quo spectante beati juvenes eo-
dem loco longiùs jam dormituri oculos
morte clauserunt: sed cum sic mortuis
etiam hæresis est mortua. *Ex variis apud*
Raderum in Aulâ S.

Cum te torpore, accediâ, vel tædio affici
sentis, noli propterea desistere à studio spi-
rituali; sed juvantis require manum, tra-
hi te obsecrans, donec denuo suscitante
gratiâ factus promptior alacriorque curras.
S. Bern. serm. 22. in Cant.

SS. NAZARIUS & GELSUS MM.
28. Iulii.

HOs etiam fosculos barbarus Neronis
gladius demessit. Sed tamen san-
guine suo rigati vivunt illi etiamnum in
manibus tuis. Utinam & odorem virtu-
tis sentias! Audi saltem. Spinæ rosam
esse proximam ajunt, id quod *NAZA-*
rius probat ex Iudæo patre, sed matre
Christianâ genitus. Anceps diu in u-
trius religionem pedibus itet, demon-
stravit tandem plus matris se bibisse,
fontique sacro adnotus à Lino Pont.
Mediolanum abiit. Ibi non multo tem-
pore

28. Julii. VITÆ SANCTORUM. 471
pore patrimonium omne in egenos effu-
dit, cumque victis pro Christo animum
faceret, mercedem nobilem magnique
martyribus æstimatam fustuarium acce-
pit. Sub hæc monitus à defunctâ matre
in Gallias contendit. Hic à nobili matro-
nâ nobilissimum puerulum **C E L S U M**
accipit inter bonas artes educandum.
Quantam, Superi! indoles pulchra dis-
cit probro Magistro usa. Neronis imperio
ad tribunal uterque raptatur. Dubito an
Magistrum, an discipulum plus laudem.
Ille pedum calcibus affligitur, nec tamen
sibi, sed animulo suo **C E L S O** timet.
Hic virgis atrocem in modum cæditur,
nec tamen sibi, imò oculo suo Magistro
NAZARIO ingemiscit. Mox uterque
illatam Christo injuriam in Diis ulcis-
cuntur, rectiusque hos humi affligunt.
Mari deinde velut prato inambulantes
vidisses. Mitto cætera. **NAZARIUS**
cervicem gladio præbuit. Idem **C E L-**
S U S fecit, tantillus discipulus Magistro
tanto non impar. *Ex Lippeloo.*

*Quod loquimur, dictamus & scribi-
mus, de vitæ nostræ parte prætervolat:
qui dudum infans, subito puer, repente
juvenis, & usque ad senectutem per spa-
tia mutatur incerta, & antè se senem in-
telligit, quàm juvenem non esse miretur.
S. Hieron. in c. 40. Is.*

S. OLAUS MART. 29. Iulii.

SIulli magnatum profuit alienas terras
 lustrare, OLAO profuit Norwegiæ
 Regi. Fortè Angliæ regnum hospes in-
 travit, cum oculis, non ut hodie fit, ad
 curiositatem abusus, inter peregrina de-
 cora. Fidem nostram aspexit. Placuit;
 ac proin Rothomagi postea sacris undis
 ablutus alius in regnum suum rediit, au-
 la comites permultos Episcopos & fidei
 præcones trahens. Sed & ipse gloriosum
 duxit dignumque rege munus, Evan-
 gelii præconium facere, quæ quidem in-
 ter Imperii curas prima jam illi erat. Al-
 tera ab hac, cum otium bella dabant,
 purgare regnum ab ariolis & incantato-
 ribus, quos ille, quia fumos vendunt,
 dignissimos ignibus judicavit. Leges,
 quas Ecclesia sanxit, quàm sanctas à suis
 haberi voluerit, ex eo perspecies, si scias
 quàm severè neglectas in se ipso vindi-
 carit. Nam fortè festo die cortice bacil-
 lum nudabat. Monitus statuit à malè
 otiosâ manu poenas continuo expetere.
 Itaque assulas in ipsâ manu incendi vo-
 luit, & peccantem ignibus expiari. Cæ-
 terum quia justitiæ amans cumprimis
 erat, nihil mirum si post hanc terris
 proscripam etiam ipse in exilium est
 pulsus. Rediit tamen postliminiò in re-
 gnum. Verum, quòd secum reducere et-
 jam

29. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 473
jam justitiam laboraret, concitavit in se
Danorum arma. Contra hos dum mo-
vet, videt in somnis scalam ad cælos per-
tingentem, dumque illuc connititur, ec-
ce à legato expergefactus conqueritur ni-
mirum cælo se detractum. Sed eodem
mox subiit, cum proditus à suis in pug-
nâ cecidit. Nostri tamen ævi principibus
scalam, hoc est, vitæ exemplum reliquit.
Ex vit. Aquil.

*Dum vocat & licet, virtutes amplectere:
in oculis tuis versetur pudor, in auribus ve-
ritas, verba vitæ in linguâ tuâ, imago Dei
in corde tuo, in membris omnibus continen-
tia, ut ab Angelis & hominibus callande-
ris. S. Ephrem de Exercitatione.*

S. LUPUS EPISCOP. 29. Iulii.

LUPUM dixi. Tu, si vitam leges, o-
vem, scio, dices, ita placidis mori-
bus hic LUPUS erat. In conjugio an-
nos egit septem omnino. Dehinc inter
Cœnobitas cœpit vivere, & conjux in
virginum collegio, gratissimo Superis
divortio. Verum Trecenses ex cœnobio
extraxerunt, & quamvis invitum LUPUM
pastorem sibi legerunt, felicissimo even-
tu. Alter enim lupus sed longè crudelis-
simus gregi imminabat Attila, ille orbis
prædo ebrius semper, sed nunquam satur
humano sanguine. Et jam infesta signa
urbi inferebat, cum obvius irato cum suis
fit Pontifex, rogatque quem denique sese
esse

Gg 5

474 VITÆ SANCTORUM. 30. Iulii.
esse putaret Rex, qui mundum sic omnem fulminis instar pervaderet? Attila nihil humile spirans, *flagellum DEI* se esse responder. Hic enimverò Antistes portas pandi omnes civitatis jubet & modestissimis verbis avere multum jubet *Dei flagellum*. Quid expectas? verba hæc ferocissimum & ultima minitantem animum demulserunt, & *LURUS* tyrannum cicuravit. Cæterum huic verborum modestiæ victus quoque ratio & vestitus responderunt. Et cibum quidem tertio primùm die sumpsit, Sabbato cibario pane contentus. Vestem quoque unicam gestavit, sed subditiâ alterâ (cilicio) superbam. *Ex Surio & Naclero.*

Ad Deum tuum refer flagellum tuum: quia nec Diabolus tibi aliquid faciet, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem, aut ad pœnam: aut ad disciplinam. Ad pœnam impiis, ad disciplinam filiis. Flagellat enim omnem filium quem recepit.
S. Aug. in Ps. 31.

SS. ABDON & SENNEN M.M.
30. Iulii.

Censebantur ABDON & SENNEN inter primos Persiæ purpuratos. Et verò nisi cunæ in patriâ, mors Romæ purpuram donasset. Nam quòd Christiano principe non indignum officium arbitrarentur, Martyrum esse vespillones, suis-

30. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 475
suisque manibus terræ mandare horum
corpora gaudent, victos Decius Ro-
mam adduxit. Ibi ad tyranni tribunal
steterunt auro gemmisque splendidi rei;
sed extinguebant harum lucem catenæ
ferreæ, quas nimium quantum gloriosi
jactabant. Itaque cum munera ingentia
promitteret tyrannus, si ad Deos transi-
rent, risere scilicet, & ad omnia tor-
menta provocarunt. Plumbatis igitur
tentati, contra ferreos se præbuerunt.
Inde in theatro feris objecti; sed plausum
meruere & victa Martyribus colla leones
submisere, feræque cicures hominem
contra feros homines visæ defendere.
Reperti interim qui necem inferrent gla-
diatores. Sed & Martyres tales se pro-
barunt, cum jugulum fortiter gladio de-
derunt. Extincti triduum tumulo car-
nere, dum Cyrinus plumbeis oculis
clausum aurum defodit, quod iterum
deinde erutum est in lucem, cum Orbi
Christiano Sol suus Constantinus luxit.
Ex actis S. Laurentii.

*Noli caduca & fugacia quæ tanquam
cera liquecunt, admirari. Versant alii
cum Principibus familiariter; tu per ora-
tionem cum Deo versaris: tu unigeniti Fi-
lii Dei corpore vesceris; gaude & letare te
dignum effectum esse, qui templum sit Dei.
S. Ephrem de vit. Spirit.*

S. GER-

GERMANUM Musæ ad summos honores evexerunt. In his positus cum animum ad indigna munere suo studia dimitteret, & venandi amore illectus Palladi jam Dianam præponeret, monitor adfuit Amator urbis Pontifex, & arbore, in quâ ferarum capita defixerat, excisâ, insanam etiam venandi studium ex ejus animo extirpavit. Etsi enim irarum fugere aliquandiu Amator est coactus, rediit tamen paulò post, & inermem in templo GERMANUM aggressus, captum amicâ vi in sacerdotem attondit, infulaque suâ moriturus heredem fecit. Inde alium jam vidisses GERMANUM. Nemo modestior illo. Nulli digniores infulâ mores. Ille cilicio corpus vestire, ille præter panem hordeaceum & mortis monitorem cinerem nihil in mensam admittere. Ille reditus in pauperes dispensare, cum ex his uni tres reliqui aurei essent, jubere, ut hi etiam illis in prædam cederent. Verum cum ex his unum minister servasset, Numenque pro binis ducentos dono submitisset, notavit scilicet GERMANUS avaritiam illius, qui ingens fœnus (quod trecentorum aureorum futurum erat) imminuisset. Obiit anno CCCC. XXXV. patria suâ unicum præsidium. Nam dum
vixit,

31. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 477
vixit, contra imminentes urbi hostes ipse exercitum duxit, signa ipse tulit, utque animos civibus faceret, sæpè sapius cum suis *Alleluia* insonuit, itaque ferè unus rectè Epiniciam ante victoriam cecinit. *Ex Surio.*

Diem ex die ne differas; sed quàm celerimè ad Dominum te converte, antequam severissimi Iudicis sententia pronuncietur, quæ te vocet ad reddendam orationem talentorum, quæ tibi dedit; & vinctis manibus & pedibus in tenebras exteriores extrudaris. S. Ephrem de Pœnit. & Conf.

S. IGNATIUS LOYOLA C.

31. Iulii.

IGNATIUS è nobili milite Societatis *Iesu* Dux animi sanitatem pedum debet vulnere; hujus curationem. D. Petro, vitæ immutationem piorum librorum lectioni, castitatis verò donum Virgini *Magne*, quæ cum Filiolo suo spectandam illi se dedit. Ad hujus aram cum opima spolia (arma sibi detracta) suspendisset, inter miros pœnitentiæ rigores, *Maria* dictante, libellum illum Asceticum scripsit, quem ne libro satis laudes. Cùm horas *Virginis* percurreret, ad arcanum S. Triadis aspectum admisus est. Eiusdem Sabbatho extra se raptus, non nisi altero Sabbatho ad corpus rediit, animarum lucro inhians, vir annorum

478 VITÆ SANCTORUM. 31. Iulii.
rum XXXIII. literas discere est aggressus ; mox socios scribere, parvas copias, sed ingens orbi laboranti præsidium, & cui *Jesus* ipse propitium Romæ se fore appromisit. Unicum ei symbolum fuit, *Major Dei Gloria* ; perquam familiaris illa cum lacrymis vox *Hen quàm soudet terra, cùm calum aspicio !* Hoc obtinuit an. M. D. LVI. vir divinis ostentis, vaticiniis, miraculis clarus & natus Ecclesiæ bono. Nam sanctior juventutis educatio, reductæ ab exilio Musæ, proscriptæ hæreses, assertus DD. & templorum cultus, frequens iterum Sacramentorum usus, demum uterque orbis, ille **CHRISTO** subactus, hic servatus, & quidquid in utroque filii vel faciunt fortiter vel pariuntur, id omne **IGNATIUS** est opus. De Sodalitatibus *Virginis* quid dicam ? quisquis ex his *Mariam* Matrem clamas, rectè **IGNATIUM** patrem dices. *Ex vitâ.*

O ingratißimum ! ô duri cordis hominem ! qui nondum intelligit, se ad labores perpetiendos, atque ad gloriam Domini Nostri Jesu Christi summo conatu querendam & amplificandam longè maximè obligatum ! Ex Epist. S. P. Ignatii de perfect. Religiosâ.

S. IOAN-

S. JOANNES COLUMBINUS C.

31. Iulii.

O Si Lector iis oculis vitam JOANNES legeres, quibus ille Divorum legit! Et leges puto iisdem, si leges. Succensuit hic uxori canam seriùs apparanti. Illa, ut matrona erat præ aliis pia, jubet, dum famem rectiùs opsonet, oculos pascete legendis Divorum factis. Non erat hoc pro stomacho JOANNES: abjicit librum. Mox tamen curiositate ductus tollit, legitque in quam primò oculis offendit Mariæ Ægyptiacæ vitam. Hic verò aliã jam fame stimularia nimus, & nauseare omnia terrena, jam templa & preces amare, benè egenis facere, asseri incubare, castitatem cum conjunge colere, ædes in publicum peregrionorum stabulum vertere, denique ille nuper in pietate discipulus vel magistram conjugem superare. Et fort leprã horridum homuncionem domum portaverat, cujus nec aspectum conjunx ferre poterat. At JOANNES osculis etiam dignatus balneo recreatum in uxoris thalamo deposuìte, idemque, dum à sacris rediret, enixè commendavit. Interea dum hæc cubiculum petit, omnes odorum delicias obvias habet. Supervenit JOANNES cum bellariis, sed præter vestigia, nobiles, quos diximus, odores nihil reperit.

Christus

480 VITÆ SANCTORUM. I. *Ang.*
Christus fuerat. JOANNES rebus om-
nibus abjectis pauperem etiam ipse in-
duit, Societatemque condidit, quam
Urbanus V. Pont. probavit, patrocínio
infantum inductus, qui matres suas, ut
Iesuatis (ita is Ordo appellatur) benefa-
cerent, monuerunt, tam magni orato-
res quàm parvi fuerunt. *Ex Ferrar.*

*Habeamus hospitalitatis curam, non ut
momentaneam solam retributionem accipia-
mus; sed ut reponamus nobis immortalium
bonorum fruitionem. Nam si hoc facimus,
suscipiemus & nos Christum, & suscipiet
etiam ipse nos in mansionibus, quas prepara-
vit diligentibus se. S. Chryl. in Gen.*

SS. FIDES, SPES, CHARITAS. VV.
MM. I. *Augusti.*

Felix Roma, cui, quas nullus unquam
pingere satis belle pictor potuit, vi-
vas spectare virtutes licuit, FIDEM in-
quam, SPES & CHARITATEM *Sophia* fi-
lias, Charitum Christianarum ipsissimam
trigam. Ex his maxima XII. altera X. na-
tu minima IX. omnes paucos annos, sed
plurimas palmas numerant. Ecce enim
virtuti, ut solet, Tyrannus bellum movet,
sed matre duce & junctis copiis omnes
vincunt. Igitur duello singulas aggredi
Urbi Præfectus statuit, & primò quidem
FIDEM. Contra hanc flagris pugnat: at ter-
gum pro scuto objicit FIDES. Sarraginem
ad-